



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Liberii Papae Ad Vincentivm Capvae Episcopvm, Qua Arianis  
communionem coniunctus, ab exilio liberari petit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

iudicio Romanæ ecclesiæ excommunicatus fuisse, antequam Liberius ad comitatum imperatoris peruenisset. Vna igitur, quod supra dixi, eademque manus scorpionis fuisse videtur, quæ vtramque hanc epistolam nomine Liberii scripsit & excogitauit, ea occasione, vt quod ad Liberii defensionem Athanasii, Hilarii & Hieronymi testimonio dicitur, cum per vim & minas coactum Athanasii condemnationi subscripsisse, mendacibus hisce & commentitiis sub nomine Liberii ab Ariano aliquo affectis epistolis improbaretur. Hæc ex Baron. anno 352. num. 18.

EPISTOLA VIII. LIBERII PAPÆ  
AD VINCENTIUM CAPVÆ EPISCOPVM,

*Qua Arianis communionem coniunctus, ab exilio  
liberari petit.*

**N**ON doceo, sed moneo sanctum animum tuum, frater, eo quod colloquia mala mores bonos corrumpant. Infidiæ malorum hominum bene tibi cognitæ sunt, vnde ad hunc laborem perueni: & ora vt det Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius noster Urbicus diaconus, quem videbar habere solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est. Et ideo sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa nominis Athanasii recessisse, & ad fratres & coepiscopos nostros orientales literas dedisse desuper eius nomine. Pax nobis vbique est. Dignaberis conuenire omnes episcopos Campaniæ, & hæc illis insinuare, & ex eorum numero vna cum epistola vestra de vnanimitate nostra, & pace ad clementissimum imperatorem nostrum scribere, quo possim & ego de tristitia magna liberari. Dominus te incolumem custodiat, domine frater carissime. Cum omnibus episcopis orientalibus pacem habemus, & vobiscum ego. Me ad Dominum solui, vos videritis, si voueritis me in exilio deficere, Dominus iudex inter me & vos.

Extat ex  
collect.  
Cresco. &  
Vatica. bi-  
blioth. a-  
pud Baron.  
anno 357.  
num. 45.

Subscripti  
& appen-  
dix.